

1510 que, descendens est profectus. Equites, quibus Janes Fregosius præterat, qui quidem erant ii, quos stipendiarios habuerat Nicolaus imperator, Senatusconsulto attributi sunt Laurentio, qui Cere obtinebat, usque ad Janis ad urbem redditum: suusque ipsi equitum centum quinquaginta gravis armaturæ constitutus numerus, cum auri libra in victum mensibus singulis. Pauloque Manfronio ejusdem generis equitum auctus numerus ad centum. Quodque hostium exercitus una cum equitibus Hispanis, de quibus supra diximus, Patavio appropinquarebat, ut omnes crederent eum ad oppidi mœnia venturum: neque deerat suspicio ab amicis reipublicæ ad legatos delata, ex iis qui Patavium custodiebant, non nullos cum hostibus consensisse, oppidique portam eis tradituros: eodem senatusconsulto jussum, ut præter Citolum Perusinum cum sua cohorte, equites peditesque universi, qui Taurisi essent, & tormentorum magistri, sine mora Patavium proficiserentur. utque legatis pecunia suppeteret, præter eas quas superioribus diebus sæpe miserant, centum auri libræ a civibus mutuo acceptæ sunt ad illos missæ. Eo in tumultu quod Angelus Trivisanus, qui ob classem in Pado amissam in exilium missus fuerat, reipublicæ est pollicitus, se Patavium cum militibus centum quinquaginta iturum, eique urbi præsidio mensem totum sua impensa futurum, si restituatur: lex est in comitio perlata, ea illum conditione ab exilio revocari reipublicæ placere. atque is intra bīduum eo cum militum numero se in oppidum intulit. Philippum quoque Maurocenum, quem quidem ob vulneratum ab eo Robertum Maurocenum consobrinum suum XL. viri in carcerem conjecterant, auri libris X. in ærarium illatis decemviri libertati & civitati restituerunt.

Hostes cum dies aliquot de adventu suo Patavium suspensum tenuissent, Monsilice sunt profecti, tormentisque positis oppidum verberare occéperunt, murosque duabus a partibus dejecterunt. Interim Epirotæ XX.

Pata-

*Angelus
Trivisanus
ab exilio re-
vocatur.*